UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

XXI. de Sortilegiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63277

Visual Library

Quæ eſt pœna falſi?

Jure civili pœna falſi, vel quaſi falſi, in liberis hominibus eſt deportatio & bonorum omnium publicatio, ſervus ultimo ſupplicio affici jubetur: aliterve pro qualitate perſonæ falſum committentis, falſitatisque commiſſæ modo atrocius modo mitius, crimen hoc punitur. *l. 1. in fin. D. eod.* *l. Qui duob. 21. D. eod.*

Jure Pont. qui falſum in literis S. P. admiſiſſe convincitur, ſi Clericus fuerit, cum omnibus ſuis ea in re fautoribus & defenſoribus excommunicatus, omnibusque officiis & beneficiis ſuis ſpoliatus, & per Eccleſiaſticum judicem degradatus, curiæ traditur ſeculari puniendus, aliter quam in litteris Apoſtolicis Clericus falſum admiſerit, pœna eſt depoſitio vel alia major, pro qualitate criminis. *d. c. 7. h. t.*

De Sortilegiis.

TIT. XXI.

Dixi ſupra, a crimine falſi etiam ſortilegos non eſſe alienos: quia per ſortes fallunt homines, & præ ſe ferunt ſe vera prædicere, cum ſolius Dei ſit futura noſſe. *can. 1. XXXVI. q. 5.*

1. *Quæ dicuntur hoc loco Sortes, & qui Sortilegi?*

SOrtes nihil aliud quam divinationes & maleficia eſſe, inquit Leo IV. imo. Sortilegi vero ſunt, auctore Iſidoro, qui ſub nomine fictæ religionis per quas, quas Sanctorum ſeu Apoſtolorum ſortes vocant, divinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcunque ſcripturarum inſpectione futura promittunt. Vel Sortilegi dicuntur, qui id, quod occultum, eventu alicujus rei explorant, ut qui ad deprehendendum fures aſtrolabium & aliud quid movent, aut inſpiciunt.

can. Sortes XXV. q. 5.

can. unico XXVI. q. 1.

c. 1. & 2. h. t.

2. Nomine Sortilegorum qui præterea comprehenduntur?

Nomen hoc generale eſt, omnesque divinationum ſpecies complectitur, ut quæ ex aſtris eventus futurorum ſeu naſcentium vitam & mores conjectat, Aſtrologiam divinatricem ſeu judiciariam; & quæ ex elementis, ut Geomantiam, Hydromantiam, Pyromantiam, Aëromantiam; & quæ ab aliis, quibus divinandi artem exercentes incumbunt, appellantur, ut Arioli, Aruſpices, Auſpices, Necromantici, Magi &c.

can. Sed & illud XXVI. q. 2. can. Igitur XXVI. q. 3.

3. Quotuplices ſunt ſortes?

Triplices, Diviſoriæ, Conſultoriæ & Divi-

Divinatoriæ. *Diviſoriæ* ſunt, quarum eventus plerumque a ſolo caſu pendet: ut cum ſortem velut judicem facimus in litibus ac controverſiis dirimendis, in hæreditatibus & bonis communibus dividendis &c. ut ſciatur, quid cuique tribuendum ſit, in quibus propterea nihil per ſe mali eſt. *Conſultoriis* divina voluntas conſulitur, ut ſciatur, quid agendum fugiendumve ſit: quod licite fit, quando cogit neceſſitas, ut cum Apoſtoli, non niſi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fuſis, Matthiam in Apoſtolatum ſorte elegerunt. *Divinatoriæ* ſunt, ex quarum inſpectione futura prænunciantur, & præſentia aut præterita occulta deteguntur: quo quia ordinarie non fit ſine pacto aliquo cum dæmone, ſive expreſſo ſive tacito, ideo tales ſortes omnino illicitæ ſunt & prohibitæ jure Canonico.

l. 14. D. de judic. & l. 3. de fam. erciſ.

d. c. 1. & 2. h. t.

4. *Quæ ſunt pœnæ Sortilegorum?*

Jure Canonico pœna eſt excommunicatio, quam pœnam incurrent & conſulentes: monitique & emendationem detrectantes, ſi ſervi, verberibus caſtigandi ſunt, liberi vero homines in carcerem detru-

Can. Non oportet & aliis XXVI. q. 1.

Can. Contrad. q. 1. *can. ſi quis Epiſc. d. q. 5.*

detrudendi. Clerici vero magi vel ... legi, aut etiam conſulentes, depo... omni ordine ſacro, & executi off... beneficiis in monaſterio crimen ... ſum perpetua pœnitentia luere ... niſi mitiget pœnam ſimplicitas & ... zelus: Divinationes, quæ hæreſin ... feſtam ſapiant, exercentes puniunt... hæretici, atque incorrigibiles facti ... traduntur ſeculari puniendi.

l. 3. C. de malef. & Mathem.

Jure civili pœna maleficorum, ... rum, & ſimilium, eſt capitalis, & ... cremantur, aut gladio feriuntur. D... ſuetudine pœna eſt arbitraria, juxta ... litatem delicti utroque jure.

De Colluſione detegenda.

TIT. XXII.

Falſi quoque ſpeciem habet, colludere cum adverſario in judicio, id eſt aliud revera agere, aliud ſimulare; quare hæc quoque falſitas detegenda.

1. *Colludere qui & qualiter dicuntur?*

c. 2. & 2. C. eod.

INprimis ipſi litigatores, actor & ... cum litem ſimulant, ex pacto alter al... terum patitur vincere in cauſſa, ut ... præjudicium fiat alicui; quales Præva... ca...